

onem <sup>1)</sup>. Est ergo fortis, qui se in dolore aliquo consolatur. Et revera jure ea fortitudo vocatur, quando unusquisque se ipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur, non adversis perturbatur, non extollitur secundis, et quasi vento quodam, variarum rerum circumfertur mutatione. Quid autem excelsius et magnificentius, quam exercere mentem, afficere carnem et in servitatem redigere, ut obediat imperio, consiliis obtemperet, ut in adeundis laboribus impigre exequatur propositum animi ac voluntatem? Haec igitur prima vis fortitudinis, quoniam in duobus generibus fortitudo spectatur animi. Primo, ut externa corporis pro minimis habeat, et quasi superflua despicienda magis, quam expendenda ducat. Secundo, ut ea quae summa sunt, omnes quae res in quibus honestas et illud *πρέπον* cernitur, praeclara animi intentione usque ad affectum persequatur. Quid enim tam praeclarum, quam ut ita animum tuum informes, ut neque divitias, neque voluptates, neque honores in maximis constituas, neque in his studium omne conteras? Quod cum ita affectus animo fueris, necesse est ut illud honestum ac decorum praeponendum putes, illique mentem ita intendas tuam, ut quidquid acciderit, quo frangi animi solent, aut patrimonii amissio, aut honoris imminutio, aut obtrectatio infidelium, quasi superior non sentias. Deinde ut te salutis ipsius pericula pro justitia suscepta non moveant. Haec vera fortitudo est, quam habet Christi athleta: qui nisi legitime certaverit, non coronatur. An mediocre tibi videtur praeceptum fortitudinis: Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem <sup>2)</sup>? Vide quot certamina, et una corona. Quod praeceptum non dat, nisi qui est confortatus in Christo Jesu, cujus caro requiem non habebat <sup>3)</sup>. Afflictio undique: foris pugnae, intus timores. Et quamvis in periculis, in laboribus pluri-

1) Hebr. 6. 2) 2 Cor. 7. 3) Ibid. 11.